Bellerophōtes: ſeu bellerophō tis. fuit Glauci regis Ephyre filius inclyto decore conſpicuus et virtutis maximę. Hic cum a Stenobea vxore preti de coitu interpellatus eſſet veritus hoſpitalis Jouis iram laſciuā fęminā repulit. Vn̄ exardēs repulſa mulier viro innocētē hoſpitē accuſauit: qui hoſpitij iure motꝰ illū domi nō interficere ſuſtinuit: ſed datis codicillis ad Jobatē ſocerū illū in Lyciā miſit. Lectis ergo codicillis Jobates in vltionē criminis ad Chimeram et Solymos domandos Bellerophontem miſit: vt ſub pretextu memorabilis pugnę interiret. Sz Chimera et Solymis deuictis laudē retulit maximam. Hic primo Hipponꝰ: poſt ab interfecto Corinthio Bellero Bellerophontes dictus ē: primę decli. ſicut Anchiſes. Hinc Bellerophonteꝰ a. um. Prop. Bellerophontei qua fluit humor equi. Pindarꝰ in oda Xenophōtł Corinthij ita ſcribit pulcherrime πριν γε[ι]οι χρυσ αμπυκ κουρα χαλινον παλλαδ ηνεγκε εξ ονειρου δαυτικα ηνυπαφωνασ ελευδεισ αιολιδα βασιλευ αγεφιλτρον το διππειον δεχου.

Bellouaci: populi gallię qui bello gloria belgas omnes ſuperarūt: quos Cęſar duce eorum interfecto in poteſtatem redegit.

Belon per ſimplex l. vrbs: et nomē fluuij in Hiſpania.

Bembina: Nemee vicus. vn̄ Nemeeus leo a poetis bembinatis ē dictus. Plau. in Mi. Bembinatidis belue inſtar: hoc eſt Nemeei leonis inſtar.

Bene: aduerbium a bonus: vt bene omnia fecit. Aliquando ponitur pro cōmode: vt bene habito. Interdum pro prudenter pulchre: probe: ornate: honeſte:

pꝛoſpere: ꝓ loco. Nonnunq̃ ꝓ valde: vt bene nummatus. i. pecunioſus. Cice. Habetis orationẽ bene longam. Nam bonus pꝛo magno ⁊ multo quãdoq̃ capit̃. Similiter male ꝓ valde. Cice. in bꝛu. Credebat ſcriptoꝛes illos male mulctatos.

Beneiudico/cẽſeo/opinoꝛ/exiſtimo: ad meipſũ referũt̃: rectũq̃ ꝯſiliũ oſtendũt ⁊ ecõtrario Male iudico.

Bene cogito vel male cogito referunt̃ ad alterũ: ſignificantq̃ beneficiũ aut pernitiem. Ply. Hoc tuo ſtudio bene de te cogitantẽ liberalioꝛem reddes. Cice. Carthaginẽ diu male cogitantẽ non pꝛius timere deſinã q̃ exciſam cognouero.

Bene vertere: eſt in vtilitatẽ vertere: ſicut Male vertere eſt in perniciem.

Bene volo tibi: amo te. Hinc Beniuolꝰ et beniuolẽtia que ẽ inclinatio animi cũ deſyderio benefaciendi.

Benedico: laudo bene loquoꝛ. Teren. in phoꝛ. Benedictis ſi certaſſet: audiſſet bene. Et conſtruitur cum datiuo: ſicut Maledico qñ ẽ vna dictio: hinc Benedicus penultima coꝛrepta: qui benedicit et laudat: a quo aduerbiũ Benedice. Plau. Cum illiciebas me ad te blande ac benedice.

Benefacio: nõ indignãtis ſed gratias agentis ẽ. Terẽ. in Eu. Benefacis merito te amo.

Beneficus: liberalis: qui beneficiũ ꝑſtat: et cõparatiuũ habet ⁊ ſuperlatiuũ aliqñ etiã ſuum vt beneficẽtioꝛ beneficentiſſimus ⁊ beneficiſſimꝰ: vt Mar. Cato de Ptolemeo rege optimo ⁊ beneficiſſimo. Hinc beneficentia: liberalitas.

Beneficiarius qui beneficiũ accepit. Vñ ⁊ a veteribus bñficiarij dicti ſũt illi quos impatoꝛ ſuo bñficio pꝛomouiſſet in militia. Ceſar. lib. j. Pet. vero nõ deſerit ſeſe armat familiã cum hac ꝑtoꝛia cohoꝛte certamen barbariſq̃ equitibꝰ paucis beneficiarijs ſuis.

Benignus a bonꝰ deducit̃ et ꝓpꝛie qui bonis ⁊ dignis largitur: ex bono ⁊ gignendo cõpoſita dictio. Unde benignam terrã dicimus fructus abũde reddentem. Ply. de egypto. Nulla eſt benignioꝛ tellus nullus ager feratioꝛ. Terẽ. in Hecy. Benigne pꝛebeat̃: hoc eñ eſt gratius nõ ſolũ pꝛebere/ſed etiã large. Dona. Benignitas eſt in quantitate rerum: aut in facilitatẽ pꝛeſtãtis. Nam plerũq̃ ingrata dona ſunt in quibꝰ benignitas non apparet.

Benna benne lingua gallica: genꝰ vehiculi. Vñ Combennones in eadẽ benna ſedentes.

Beneuentũ Campanię vꝛbs cuȝ eo colonia deduceret̃ boni omnis gratiã vocari ceptũ: nã antea maleuentũ vocabatur. Hęc vꝛbs a Diomede condita fertur: apud quã. xxx. milia ſamnitũ ceſa fuerũt. Sulpitio et Petilio conſulibus.

Beo as. conſoloꝛ: et beatum gloꝛioſumq̃ facio. Plau. in Tru. Hoc me beat ſaltem: quoniam perduellis vicit et domũ compos laudis reuenit. Hinc beatus beatioꝛ beatiſſimus.

Berecyntus: nomen mõtis eſt: ⁊ nomen oppidi in quo Cybele mater deum pꝛiſcoꝛũ ritu colebatur. Unde berecyntia dicta eſt.

Beronice vel berenice es. penul. pꝛodu. regina ęgypti ſoꝛoꝛ Ptolomei et Cleopatrę: a qua beronice vꝛbs in maioꝛi ſyrte credit̃ appellata. Fuit ⁊ alia beronice Herodis Agrippe iudeoꝛũ regis filia de qua Iuuena. Deinde adamas notiſſimus ⁊ beronices.

Beryllus cum y. grȩca lapis pallidus tranſparens: ex quo pocula fiebant. ge. maſ. et fęmi. Priſci. in perihegeſi. berylli gẽmas glauci nitidũq̃ adamãta. Gignitur in india ſimilis ſmaragdo: ſed cũ palloꝛe ſemꝑq̃ berylli ſexangula figura artificũ ingenijs poliũt̃ qm̃ hebeſcũt niſi coloꝛ repcuſſu anguloꝝ excitet̃ Oꝛpheus in libꝛo de gẽmis de beryllo nil meminit: ſed Euſta. multa in enarratiõe Dionyſij libici: qui ait μιγ

και χρυσοιο φερειν χαριεστε ρουαλλου/ γρησ βηρυλλου γλαυκη ν λιθον.

Beritus. cum y. penul. pꝛo. vꝛbs eſt Syrię antiochię.

Berſabę: vꝛbs in terra Iuda: quę etiã puteue iuramẽti vocata eſt: qꝛ cum ibi habitaret Abꝛaã cum Abimelech datis ſeptem ouibus in fędus mutuo iurauerũt Hęc terminus fuit terrę pꝛomiſſionis poſſeſſę: a populo iudęoꝛũ poſtq̃ reuerſus eſt ex ęgypto: ⁊ tendit̃ vſq̃ ad Dan ſpatio in longũ. clx. milium: ſicut ſcribit Hierony. ad Dardanum.

Bes is. vncię octo ab aſſe: ex eo ꝙ bis triens ſit: q̃uis dura cõpoſitio. Ser. Duos triẽtes beſſem vocabis. Antiqui Des dicebant dempto triente. i. octo.

Beſſi populi thracũ de quibꝰ Ouid. lib. iiij. triſ. Viuere q̃ miſerum eſt inter beſſoſq̃ getaſq̃.

Beſtia: belua. Vlp. Beſtias accipere debemus magis ex feritate: q̃ ex animalis genere quę ꝓpꝛie moꝛſu vl̃ vnguibus ſeuiunt: vt pardi leones tygrides a vaſtãdo. Hinc beſtialis ⁊ hoc beſtiale. Amb. Ipſum videtur beſtialis naturę poteſtati eſſe ſubiectũ.

Beſtiarij dicebãtur qui cũ beſtijs depugnare damnati erant. Hinc a Sen. lupus beſtiarioꝝ nuncupat̃ quo beſtiarij depugnabãt. Tertulia. Iupiter eſt Romę quẽ ludis ſuis ſanguine ꝓluunt beſtiarioꝛũ.

Beſſyga penultima coꝛrepta. Empoꝛium in India vbi et amnis Beſſygas. Unde beſſygite populi qui humana carne veſcuntur.

Beta: littera grȩca ꝓxima pꝛimę in b. a latinis trãſfert̃ aliqñ in u. vt bition vitia. Eſt etiam hoc noĩe herba: q̃ et bleta dicit̃ et betatius ⁊ betatium.

Beto is. vado quaſi bene ito. Var. Mulierẽ ꝙ parere ea nõ poterat foꝛas betere iuſſit.

Bethania: villa ſecũdo miliario ab Hieruſalem in latere montis oliueti.

Bethel: vꝛbs Samarię quã Iebuſei condiderunt: quę pꝛius vocabatur luça.

Bethleem: nomẽ ciuitat̃ Dauid: q̃ alio vocabulo dicit̃ Euphꝛata: nũc viculus eſſe dicit̃ qui ab Ioppe. xlvj. milibus diſtat. In hac ciuitate oꝛtus atq̃ ꝯſumatus eſt Dauid. Ibi etiã dñs noſter ex ſpirituſancto genitus natus eſt. Ibi Rachel occubuit: vbi ⁊ ſepulchꝛũ Ieſſe patris Dauid oſtenditur. Eſt autẽ hic locus in tribu Iuda. ſexto ab hieruſalẽ miliario poſitus ꝯtra meridiẽ in itinere q̃ pergit̃ hebꝛon. Qñ autẽ Iacob ibi pecoꝛa ſua pauit loco Bethleem nomẽ impoſuit quod domus panis interpꝛetat̃ ꝓpter eũ panem qui ibi de cęlo deſcendit. Hinc Bethleemite penul. pꝛo. dicti ſunt qui eius incolę ſunt.

Bethſamis pe. coꝛ. nomẽ vꝛbis Galilęę vbi dñs ꝑhibetur multa ſigna feciſſe: a qua bethſamitę populi.

Bethſaida: piſcina ĩ hieruſalẽ quę vocabat̃ pꝛobatica: Et a nobis dici poteſt domus pecudũ ſiue pecualis quia oſtias in ea quondam ſacerdotes lauabant. Eſt et nomẽ ciuitatis Galilęę: a qua Petrus et Philippus oꝛtum habuere.

Bethſura: et bethſurę tm̃ pluraliter penulti. pꝛo. Hier. li. ij. mach. Et bethſurę qđ erat Iudeoꝝ munitũ pꝛeſidium: caſtra admouebat. Idẽ in codez. Iterũ rerũ ſermonẽ habuit cũ his qui erant bethſuris. Et interpꝛetat̃ domus muri vel domus acerba.

Bethphage penul. pꝛo. ſyrum nomẽ quod interꝑtatur domus oꝛis: vel maxilla.

Bethys: fluuiꝰ Hiſpanię vlterioꝛis a quo bethyca Hiſpanię regio dicta eſt q̃ ab accolis Tudertana vocat̃. incolę Tudertani ⁊ Turduli dicunt̃ Ea nunc granata dicit̃ a grano qđ gręci coccũ vocãt: nã in bethyca fere tota copioſum coccum gignitur. Accipitur etiã pꝛo Hiſpania: ꝙ bethys eam diuidat. Hic fluuius occidit in occeano occidentali: dictus behtys παρα Το βαφυσαεισΗ quod eſt pꝛofundum: In quo

lanas pulchro colore tingi oſtendit Marci. cum ait: Bethys oliuifera crinē redimite corona: Aurea qui nitidis vellera tingis aquis: ſed tamē quotquot grecos viderim ſcribunt per ai diph. in prima: vt Stephanus biçantius noſter ⁊ Euſtachi⁹ in cōmentarijs Dionyſij ſed mihi viſus ſum ſequi aliā opinionem.

## B Ante I

Bifores penul. cor. que habent duas ianuas.

Bifidus a. um. penul. cor. qđ in duas partes fiſſum eſt.

Betula penul. cor. genus arboris eximij candoris. Ex qua fieri ſolent circuli vaſis vinarijs idonei.

Betulus Hiſpanie fluuius eſt: cuius aqua ad ferri temperamenta fertur aptiſſima.

Bianor nomē viri qui ⁊ Ochnus dictus ē fili⁹ Mant⁹ fatidice et Thuſci flu. qui Mantuā a nomine matris dixit. Fuit ⁊ alius Troianus princeps.

Bias antis. nomē philoſophi priennenſis: qui fuit vn⁹ ex ſeptem grecie ſapientibus. Hic Laertio teſte vir fuit totus regius ⁊ ciuiū ſuoꝝ pꝛinceps: q̈s diu aduerſis periculis tutat⁹ ē. Sz tandē capta patria cū fugientib⁹ cunctis onuſtis ſarcinulis ꝓcioſarū rerū ſuarū ⁊ ipſe interrogaret cur ex bonis ſuis ſolus nihil ſecū ferret: reſpondit oīa bona mea mecū porto. Suidas βιαυΤοσ πριηνεωσ ΔικηουΤοσ εισ ΤωνεπΤα σοφων λεγεται γαρ εισ Τασ Δικασ ΔεινοΤα Τοσ γενομενα ειπειν επ αγαθω μενΤοι ΤηΤων λογων ισχυι εχρηΤο.

Bibo is. bibi itum. potum haurio. Et ea omia dicūtur bibere: que hauſtus habēt. Virg. xj. etiā his iunxit que non habent hauſtum. Haſta ſub exertam donec ꝑlata papillā Heſit: virgineūq3 alte bibit acta cruorem. Huius cōpoſita ſunt Adbibo: quod ſignificat iuxta ſeu etiā bibo. Teren. in Heau. Is pater mihi vbi adbibit plus paulo ſua qui narrat facinora. Cōbibo ſimul bibo. Plau. in Cur. Foribus dat aquā cōbibāt. Vñ et Cōbibones dicunt. Cic. Peto. In his cōtrouerſijs quas habeo cū tuis conbibonibus epicureis optima opera vti ei⁹ ſoleo. Ebibo extrabibo exhaurio. Plaut. in Am. Factū illud eſt vt ego illic vini hyrneā ebiberim meri. Prebibo anbibo. Nec venena iā metuā inquit. Hie. cū antidotū prebibero. Per tranſlationem ebibere ponitur pro cōſumere. Idē in eadem. Nō ego cū vino ſimul ebibi imperiū tuū. Imbibo inſumo: intus ꝯcipio. Cic. in Ver. An nunq̄ iſte bonam de ſe ſpem habuiſſet: niſi de nobis opinionem imbibiſſet. Aug. Ut poeta optimus maximus teneris ebibitus annis nō facile memoria aboleretur. Perbibo multum bibo. Lactan. lib. ij. Infecti ſunt enim ꝑſuaſione: ac penitus eorū mētes ſuccum ſtulticie ꝑbiberunt. Subbibo parū bibo. Sue. in Nero. Si paulū ſubbibiſſet aliquid ſe ſufferri tinniturū greco ſermone promiſit. Et hec omia habent penul. cor. Inuenit etiā paſſiuū huius verbi bibo in tertia perſona. Iuuena. Sed nulla aconita bibūtur.

Bibax et biboſus: qui ē bibendi auidus vel nimius potator. Laberius. Non mammoſa non annoſa nō biboſa non procax.

Bibulus a. um. penul. cor. qđ facile ſorbet. Virg. ad Meſſalem. Inuerſo bibulū reſtinguēs lumē oliuo: q2 lumen bibit oleū. i. ardendo ꝯſumit. Unde et Bibuloꝝ cognomē dictū ē: et bibula papyrus: q̄ ſorbet atramentum. Luc. Cōficitur bibula mēphitis carta papyrus. Hinc fit meribibulus de quo alibi.

Bibaculus nomen fuit poete: quem Hier. in chronicis Cremone natū ſcribit paulo minorē Cicerone.

Bibile: quod facile bibi poteſt.

Biblos: latine papyrus iuncus liber biblion libellus Hinc deducuntur

Bibliographus: librarius: bibliacus libroſus βιβλιον καὶ γραφω.

Bibliopola penulti. ꝓducta: qui libros vendit. Mar. Non habeo ſed habet bibliopola triphon. Componitur autem ex βιβλιον quod eſt liber: et πωλω vendo per ω in prima.

Bibliotheca penul. ꝓ. tam librorū per ſe magnus numerus q̄3 locus vbi libri ſunt appellat: vt libro. xxxij. digeſtoꝝ ſcribit Ulpia. Auſo. Emptis ꝙ libris tibi bibliotheca referta eſt. Nā biblos liber eſt: et theca repoſitoriū a latinis libraria dr. Gel. Forte in libraria ego ⁊. L. Paul⁹ poeta vir memoria nrā doctiſſimus conſederamus. Eſt et bibliotheca titulus ſiue inſcriptio: qua Diodorus hiſtoriā ſuam nominauit. A grecis inflectitur bibliothece es. Plynius. Apud grecos deſit nugari Diodorus ⁊ bibliotheces hiſtoriam ſuam inſcripſit. Bibliothece vt inquit Victru. ad orientē ſpectare debēt Uſus enim librorum matutinum expoſtulat lumen.

Bis aduerbiū ſignificat in qđ greci dicūt Διο: ⁊ multa habet cōpoſita vt que ſequuntur

Biceps: quod habet duo capita. Bicorpus qđ habet duo corpora.

Bidentes quidam intelligūt oues aut beſtias: que per etatē duos dentes altiores habent. Nam hyginius dicit: Que bidens oſtia oportet dētes habeat octo: ſed ex his duos ceteris altiores: ꝑ quos appareat ex minore etate in maiorem trāſcendiſſe. Alij oſtias bimas. i. duos annos habētes quod in cōmentarijs ad ius pontificū pertinentibus legatur bidētes primo dictas d. littera ex ſuperfluo interiecta ſicut in redeo ad hiatū duarū vocaliū precauentes. Ergo bidentes primo dicti ſunt quaſi biennes: ⁊ longo vſu loquēdi corrupta eſt vox ex biennib⁹ et bidētibus dicta. Et bidens inſtrumentū ruſticū. Iuuena. Viue bidentis amās ⁊ culti villicus horti.

Bidental locus vbi mōs erat apud priſcos cū aliquod edificiū e celo fulminabat: ſacerdos aduocabat qui in eo loco ouem immolatā cōburebat: ibiq3 ei⁹ reliquias ſepeliebat: ab oue bidente ibi imolata. Hora. An triſte bidental mouerit inceſtus Nonius Mar. Bidental dici vult: ꝙ bine pecudes mactentur.

Biduū ſpatiū duoꝝ dierū. A quo biduanus a. um. vt biduane inducie: biduo cōtinenti ſignificat duobus diebus ꝯtinentib⁹. Sue. in Cali. Per hunc pontem vltro citro commeauit biduo ꝯtinenti.

Biennium ſpatiū duorum annorum.

Bifariam trifariam: aduerbia ſunt: quib⁹ ſignificatur qđ binis vel tribus modis: vl quod in duas vel tres ꝑtes fari poteſt. Sic multifariā/ omnifariā/ plurifariam: ſignificant multorū generū: omis generis ſiue in multas in omes ⁊ in plures ꝑtes: ſiue qđ multis: omibus ⁊ plurib⁹ modis fari poteſt. Dicim⁹ etiam bifarie/ trifarie/ multifarie ⁊c. a bifarius a. um. Sue. Gladiatoria munera plurifaria ac multiplicia exhibuit. Apul. Omnifario ſermone depinxit.

Bigamus penul. corre. qui duas vxores duxit. A quo bigamia γαμοσ em nuptie dicuntur.

Bigemmis vitis que habet duas gēmas. Col. lib. vj. Pro materijs longioribus pollices quaternum aut quinū gemmarū relinquunt: ꝓ cuſtodib⁹ autē bigēmes reſeces efficiunt in ea.

Bige per ſyncopā dicte ſunt quaſi biiuge currus duobus equis vecti ꝙ duorum equorum iugo agantur: equi vero biiugi biiugeſ ve dicuntur. Sic quadrige a quattuor ꝙ a quattuor equorum iugo ⁊ equi quadriiugi. Augu. lib. xviij. de ci. dei. Iūctos duos equos bigas vocamus. Apud veteres tamen bigam et trigam et quadrigam inuenimus. Suetoni⁹ in Tibe. Vix vnius bige adiectione honorari paſſus eſt. Papin in The. Roriferū gelida tenuauerat aera biga.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Plyni. In ſummo mauſoleo ẽ quadriga marmorea quam fecit pythis. Bigas primū iunxerunt phrygij. Quadrigas erictonius.

Bigenera animalia ex diuerſo genere nata vt Leopardus ex leone ⁊ panthera.

Biheres dicit̃ qui duas hereditates ꝯſecutus eſt.

Bilanx cis. quod duas habet lances.

Bilibris duarum librarum.

Bilinguis q̃ duas habet linguas: hoc ẽ: qui modo vnū mō aliud loquit̃: vł qui aliud dicit ⁊ aliud retinet. Et qñqꝫ accipit̃ pro fallaci. Hoc vitiū ad mentẽ referendo et qui diffuſe varia loquitur.

Bimeſtris duos menſes habens: aut duos annos a luna cōputatos. Hor. lib. Car. Et porco bimeſtri Cū famulis operū ſolut᷑. Sic trimeſtris quadrimeſtris quinqꝫmeſtris. Ply. Caſtrari agnos niſi quinqꝫmeſtres prematurū exiſtimant.

Bimus trimus quadrimus quimus. Vñ bimatus trimatus quadrimatus quimatus ꝓ ſpacio duorū triū quattuor aut quinqꝫ annoꝝ. Ply. Vita feminis quindecim annis longiſſima: marib⁹ vtginti robur in quimatu. Sue. in Aug. Quadrimus patrẽ amiſit.

Bimulus penul. correpta. qui in bimatu eſt; hoc eſt qui duos annos ętatis habet.

Bina ꝙuis Seruius doceat de his tantū dici quę ſunt pluralis numeri: duo quę ſunt ſingular᷑: vt dicamus binas litteras: duas epiſtolas. Inuenit̃ tñ bina iūgi cum his quę ſingulariter declinant̃. Cicero. Mario Reliquę ſunt venationes binę per dies quinqꝫ magnificę. Idem. binos tabellarios inquit Ply. lib. xij. Ergo in vtraqꝫ gente bina laudaui genera terrenū et factitiū. Eſt aūt binus a. um. idem quod duo. Siſen. Ad binum miliū nūero ſaucijs vtrinqꝫ factis. Inde fit Combino as. penulti. ꝓducta.

Binomius dicit̃ qui geminum habet nomẽ: vt Iulius Ceſar. Numa Pompilius.

Biothanatos greca dictio ex βία violẽtia ⁊ θάνατος mors id ẽ violenter mortuus: vt eſt qui ferro vel alia vi interficitur ⁊ non ſua. i. naturali morte morit̃: quę naturaliter contingit. Et mors ipſa biothanata dicit̃ quę per vim infertur. De qua intellexit Virgilius cū dixit: Nam quia nec fato merita nec morte peribat: Sed miſera ante diẽ. Ambro. de diuo Prothaſio. Miſer vł tu viuere ſtude ⁊ noli biothanatos fieri ſicut et frater Geruaſius. Hinc biothanati viri ⁊ biothanatę feminę: qui violẽta morte pereunt ⁊ biothanata mors. ſcribit Lampri. predictū fuiſſe Heliogabalo ipſum biothanatū futurum: hoc eſt ꝙ violenta morte erat moriturus. Idem. Si luna inquit applicuerit ſe Saturno deficiẽs lumine faciet matres biothanatas interire. Seruius ait: Biothanataꝝ anias non recipi in originem ſuam.

Biocreſta: id eſt vitę vtilia.

Bipalium: inſtrumentū ad fodiendum. Var. Si locus humectus ſit ibi cacumina populorū ſerūda: ⁊ arundinetum. Id prius bipalio vorrito ibi oculos arundinis pedes ternos aliū ab alio ſeri aptā eſſe vtriqꝫ eandem fere culturam.

Bipara. penul. correpta quę bis peperit.

Bipatens penul. corre. quod ex vtraqꝫ parte aperitur.

Bipertior in duas partes diuido: a quo bipertitum et aduerbium bipertito.

Bipes qꝺ habet duos pedes. A quo bipedalis: et Bipedanus a. um. Columel. Frumentis autem ſat erit ſi ęque bona ſuberit bipedana hum⁹. Bipedaneus. a. um. Columel. lib. v. Cenſuiſſem fieri ſcrobes adiecto dodrante ſuꝑ altitudinẽ bipedaneam.

Bipennis a penna deriuatur. Ideo femi. Virg᷑. vero loco adiectiui vſus ẽ lib. xj. Ferro ſonat alta bipenni. Fraxinus: proprie ſignificat quod eſt duarū pẽnarū. Ply. lib. xj. Nullis eoꝝ pennę reuiuiſcūt auulſę nullū cui aculeus i aluo bipenne ẽ: q̃buſdā pẽnarū tutelę cruſta ſuꝑuenit vt ſcarabeis q̃rū tenuior fragiliorqꝫ penna: his negatus aculeus. Per tranſlationẽ ſignificat quicquid vtrāqꝫ partẽ acutam habet. Vñ ⁊ pro ſecuri ſępenumero ponitur.

Biremes: naues q̃ habent duoꝝ remorū ordines: quas ꝯſtat Erithreos ꝓmos feciſſe. Triremes Amocles corinthius. Quadriremes carthaginẽſes Onerariam hippius tyrius inuenit.

Birotū genus vehiculi duas rotas habentis.

Biſſextus: quaſi bis ſextus: q̃r duobus diebus cōtinuo biſexto dicim⁹ calẽdas martias: duos videlicet dies pro vno computantes. Unde qui eſt natus biſſexto Calendas nihil refert vt inquit Celſus vtrum priore an poſteriore die natus ſit: cum illud biduum ꝓ vno tantum die habeatur. Eſt autem biſſextus per quattuor annos vnus dies adiectus. Creſcit enim per ſingulos annos quarta pars aſſis. At vbi quarto anno aſſem compleuerit biſſextum vnum facit. Nā Caius Ceſar ne quadrans deeſſet: ſtatuit vt quarto quoqꝫ anno ſacerdotes diem vnum intercalarent: idqꝫ biſſextum vocauerunt.

Biſulcus qui vngulas nō ſolidas habet ſed ſciſſas. Itẽ quicquid in duas acies ſciſſum eſt biſulcum dicitur. Plynius libro. x. Solidipes et biſulci ſues omni cibatu et radicibus aluntur: et biſulcus porcus cum in ceruice ſetas diuidit.

Biuium qꝺ duas vias habet: ſicut triuiū quadriuium.

Biuittas pe. pro. Vidua ꝙ duas vittas habuit: alterā cōiugalẽ/celibẽ alterā. Var. Ad Biuittatem venio.

Bilbilis oppidū Hiſpanię: a quo Martia. poeta originẽ duxit ſic dictū a bilbili ꝓpinquo fluuio.

Biblo is. factum eſt a ſimilitudine ſoni; qui fit in vaſe. Neuius. Biblit amphora.

Bilia vxor Duilli Romani qui primus Romę nauali certamine triūphauit: tantę pudicitię fuit vt illo quoqꝫ ſeculo pro exemplo fuerit quo impudicitia monſtrum erat non vitium.

Bilis atra melancholia dicitur. Et eſt humor qui i folliculo fellis eſt: et pro ſui conditione hominem tranſmutat. Et hęc inſaniam facit. Plau. in Am. Delirat vxor atra bili percita eſt. Hęc ſanatur albo veratro quod dicitur Helleborus. Eſt etiam bilis citrina vitellina rubens ⁊ praſina. Eſt et bilis quam gręci choleram dicūt. Neuius Bilem mihi nuper excitauit. Quoniā autẽ anim⁹ quādoqꝫ corporis inclinationẽ ſequitur ad mores iracundiamqꝫ et indignationem transfertur. Ply. lib. xj. Hinc ⁊ in mores crimẽ bilis nomine adeo magnū eſt in hac parte virus cū ſe fundit in animū et hominem.

Bilioſus qui bile laborat. Cor. Aut liuidū aut bilioſū. Idẽ. Sputū etiā bilioſum aut purulentū.

Bilutes veteres dixerūt beſtijs ſimiles quaſi belutos.

Biſalte populi ſcythici de quib⁹ Virg᷑. lib. iij. Georg. Biſalte quo more ſolent acerqꝫ gelonus: Cum fugit in rhodopen aut in deſerta getarum.

Bion boryſtenites philoſoph⁹ fuit ⁊ ſophiſta callidus: qui philoſophiā vario oratiōis flore veſtiuit. Fuere ⁊ alij biones nouẽ vt teſtat̃ Laerti⁹ Fert̃ hic dixiſſe ad eum qui fundos ſuos ingluuie vorauerat: Terra amphiaraū abſorbuit: ſed terram tu.

Biſon tis. animal deforme prolixitate iubarum ⁊ reliquo corpore ſed ferū cerui figura media fronte inter aures vnum cornu habens. Marti. Illi ceſſit atrox bubalus atqꝫ biſon.

Biſtonis penul. cor. ciuitas ⁊ ſtagnū in thracia abderę vrbi ꝓpinquū: a quo thracia biſtonia dictę eſt. Vñ biſtonius a. um. ⁊ biſtonic⁹ a. um. qꝺ thracẽ ſignificat ſicut ab Ionia Ioni⁹ ⁊ Ionicus. Oui. Feſſaqꝫ biſto-

nia membra lauabis aqua. Similiter Biſton. Unde
thraces teſte Solino biſtones dicunt. Idē. Tuta tñ
bello biſtonis ora fuit. Sunt qui velint ⁊ ſtagnum et
ꝓuinciā a biſtone rege nomen accepiſſe.

Bithyas cū y. greca gentē in thracia eſſe cōmemorant
quorum auctor bithys fuit Martis et Sete ſororis
Rheſi filius. Bitias vero ſine h. et i. latino fuit vnꝰ
ex carthagineſiū principibus.

Bitia Pharaonis filia: quę Moſen adoptauit.

Bithynia regio minoris Aſię: aduerſa thracię ⁊ proxi/
ma troadi: quę vt Solinus ſcribit ⁊ Ser. Primum
bebrycia: poſtea mygdonia: deinde a bithyno bithy
nia dicta fuit. Hęc etiā auctore Euſebio pontus eſt
dicta. In bithynia libyſſa eſt vbi Annibal ſepultus
eſt. Sunt qui ſcribant Thynos populos tranſiſſe ex
Europa a quibus bithyni dicunt ⁊ bithynia. Clau.
Thini thraces arant: quę nūc bithynia fertur. Hinc
Bithynus a. um. pe. pro. et bithynicus a. um. Iuue.
Mēꝫ et capadoces faciāt: equiteſqꝫ bithyni. Mar.
Iam te rem factam bithynice credis habere. Ex bi/
thynia fuerūt viri in diſciplinis memorabiles: ꝁeno/
crates philoſophus ⁊ Dionyſius dialecticus: ⁊ hi/
parchus et theodoſius et filij eius mathematici: et
Cleophanes orator ex Mirlea et Aſclepiades me/
dicus pruſienſis ⁊ Dion.

Bithynium ciuitas in bithynia a quo bithyniate et bi/
thynienſes populi dicti ſunt.

Bitumen penul. pro. genus cretę quod ſi quādo accen/
dit extingui nō poteſt ⁊ de natura ſulphuris eſt. Di/
citur fieri ex fulmine. Unde iuxta babyloniam quia
frequētia cadunt fulmina: hac re lacus abūdat adeo
vt inde fabricaſſe muros ſemyramis dicat. Hoc et
Aſphaltus dicitur.

Bitumino as. bitumine linio. Amb. lib. Hexa. Fac tibi
arcam ex lignis quadratis nidos facies in arca et bi/
tuminabis eā intus ⁊ foris bitumine.

## B Ante L

Blatta: vermis qui aluearia ledit: a βλαπτω noceo.
Colu. lib. x. appellat lucifugas blattas. Mar. tamē
poſuit pro verme libros ⁊ veſtes rodente vt in hen/
decaſyllabo. Conſtrictas niſi das mihi libellos ad/
mittam tineas: truceſqꝫ blattas. Hora. in Ser. Un
octaginta annos natus cui ſtragula veſt. Blattarū
ac tinearum epule putreſcat in arca. Blatta etiā po/
nitur pro purpura. Sidonius in panegyrico Pon/
tus caſtorea blattam tyrus ęra corinthus. Blattam
recentiores ſcriptores vermiculū bombycem intelle
xerunt cuius textu veſtes ſericę cōficerentur. Unde
blattea veſtis ⁊ blatteū paludamētū apud Lampri/
diū Capitolinūqꝫ pro ſerica ⁊ precioſa: vel vt Paul.
Egi. pro purpura: qm̄ indicū conchiliū vulgo blatta
dicitur. Sic Caſſiodo. in epiſtolis pro purpureo ce/
pit. Chameleon inquiens modo praſina modo cya/
nea modo blattea varietate ſe cōmutat. Eutropius
ſcribit: Neronē ſolitū piſcari rete blatteis funibus
annexo. Cū ab Oroſio dicat purpureis: a q̊ colore
blatta frumentū qđ rubicūdū ſit ſementi accōmoda
tius in purpuram declinās.

Blatteus a. um. accipit pro purpureo. Caſſio. in epiſt.
de Chameleonte. Colores ſuos multifaria qualitate
cōmutat: modo veneta: modo blattea: mō praſina:
mō cyanea. Eutropius. Nero inuſitata luxuria fuit
vt qui exēplo Caligulę frigidis ⁊ calidis lauaret vn/
guentis hamis aureis argenteiſqꝫ piſcaret: quę blat
teis funibꝰ extrahebant. Quos Sueto. et Oroſius
interpretātur purpureos. Ille piſcatus inqt eſt rete
aurato purpura coccoqꝫ funibꝰ nexis. Oroſiꝰ Luxu/
rię inquit tam effrenatę fuit Nero vt retibus aureis
piſcaret: quę purpureis funibꝰ extrahebant.

Blax: ſtolidus: mollis: delicatus: laſciuꝰ: qui neſcit res
diſcernere: et qui ſe inaniter iactat.

Blapſigonia pe. cor. q̄ſi detrimentū απο του βλα/
πτω noceo ⁊ γονοσ fetus cū apes morbo ignauia
aut in fecunditate naturali fetū nō peragūt.

Blatio is. et blatero as. veteres dicebant pro incōdite
⁊ inaniter loqui: vt ſūt qui extra propoſitū loquunt:
vel verba immoderata emittunt. Gel. lib. j. Fauno/
rinū ego audiui dicere verſus iſtos Euripidis nō de
his tantū factos accipi debere qui impia atqꝫ illicitā
dicerent: ſed vel maxime de hominibus quoqꝫ poſſe
dici ſtulta ⁊ immodica blatterantibus: quorū lingua
tam prodiga infreniſqꝫ ſit: vt fluat ſemꝑ ⁊ ęſtuet col/
luuiōe verborum teterrima. Et paulopoſt. Neqꝫ mi/
nus inſigniter veteres quoqꝫ noſtri hoc genꝰ homi/
nes in verba proiectos locutuleios ⁊ blaterones et
linguaces dixerunt. Plau. in Am. Qui malū intelli/
gere quiſqꝫ potis eſt: ita nugas blatis. Idem. Ubi tu
es: que blaterauiſti iam vicinis omibus me meę filię
daturū dotem. Sunt autē factitia verba a Camelo/
rum voce tracta: qui cū voce edunt blaterare dicunt
Quidā tñ a gręco deducūt apud quos βλαξ dr̄ qui
ſe inaniter iactat ⁊ blatia iactatio. Quapropter c. lit
terā addētes blacteronē ⁊ blacterare exiſtimāt ſcri/
bendū. Oui. de Philo. ꝓdux. Blatterat hinc aries
⁊ pia balat ouis. Hora. in Ser. ſine c. ⁊ prima corre
pta. Audit cū magno blateras clamore furiſqꝫ.

Bleſus qui in ſermone tardus eſt a blatero. Uel qui in
ꝓnūciatione aliquā excludit litterā. Sunt eñ multi
qui non poſſunt proferre quaſdā litteras. Quidā ꝓ
paralitico accipiūt. Unde Iuue. pro titubante poſu
it: et bleſis atqꝫ mero titubantibꝰ.

Blandiri eſt blanditias dicere/adulari/aſſentari: et ꝑti/
net ad omes ſenſus: et nōnunqꝫ ad animū. Quintil.
Blandiar pauliſꝑ calamitatibꝰ meis. Huiꝰ cōpoſitū
eſt Blandior. Colu. lib. ix. Sed ne hęc tñ aliena eſt
agricolę captantis vndiqꝫ voluptates acquirere qui
bus ſolitudines ruris eblandiant.

Blanditia ę. et blanditię arum. adulatio popularitas.
Plaut. in bac. Uiſcus merus veſtra eſt blanditia.

Blandicus pe corre. qui blandit: a quo blandiculus: et
blandicellus dimi. Un̄ blandicella ꝟba legimus.

Blandidicus: qui blande loquitur. Plau. Nunc mihi
blandidicus es: heri in tergo meo tris facile corios
cōtriuiſti bubulos.

Blaſphemo as. pen. pro. grecū eſt: et ſignificat execror:
maledico: et verbis calūniā infero ac dignitati hono
riqꝫ alterius derogo. Blaſphemia maledicentia et
grecū eſt βλασφημοσ.

Blenij populi aphricani ſine capitibus: habētes in pe/
ctore vultū vt lib. j. auctor eſt Pomponius.

Blitꝰ duplicato TT. ſcribit. Suidas. βλιττοσ ειδοσ
βοταρησ. Herba ſatiua beta iners: ac ſine ſapore.
Unde blitteus a. um. qđ eſt inutile ac nullius precij.
Plau. Blittea meretrix a gręco dicit qđ eſt blax ſtu/
pidus. Dicit et blittus ꝓ herba. Palla. lib. iiij. Blit
tus ſerit ſolo qualecūqꝫ ſed culto.

## B Ante O

Boa: et boua vtroqꝫ modo dicit ſerpentis genus: vel
ꝙ primo bubuli lactis ſucco alat: vel ꝙ inſtar bouis
turgeat: ſeu a voce bouis. Uaſtat aūt omes regiōes
in quibus habitat. In cuiꝰ vtero tp̄e Claudij impe/
ratoris integer infans inuētus eſt cū eſſet occiſa. Eſt
etiā boua morbi genus cū corpora papularū multi/
tudine rubent ad ſimilitudinē eorū qui boa ſerpente
icti turgeſcūt. Uel a fimo bubulo cuius litu maxime
tollit. Pli. Ebuli folia cōtrita et e veteri vino impo/
ſita boam ſanant. i. rubentes papulas.

Boalia quę ⁊ bupetię dicunt ludi boū gratia inſtituti.

Boo as. mugio/clamo: a βοάω. Uel a boū mugitibꝰ. Plaut. in Am. Tela frangunt: boat cęlum fremitu virum. Hinc reboo as.

Boariū forū Romę dicebat̃ ꝙ ibi boues venderent̃.

Boebeis idis. ſiue bebis lacus in theſſalia. Lu. lib. vij. Ire ꝑ oſſeam rapidus boebeida. Ual. Flac. Perderet ⁊ pingui miſeros in bebide crines.

Boemia regio myſię europę vltra danubiū ſita. Cuiꝰ metropolis ē praga inſignis ciuitas. Dicta boemia a boemo principe: opulentiſſima eſt arboribꝰ fecunda: fluminibꝰ irrigua. Hanc nonnulli germanię partem eſſe dixerunt.

Boeotia nō boetia vt Hermolaus vna cū Politiano ſentit: qui ſe vidiſſe Antonini itineris vetuſtū codicē aſſerit in quo ita ſcriptū erat Boeotię aulis in q̄ gręci aduerſus troianos conſpirauerunt ſed et ratio exigit gręca apud quos βοιωτία nec aliter. Eſt autem regio Europę a boue quē Cadmus Agenoris filius thebarum conditor immolauit anteq̄ꝫ vrbē cōderet. Oui. Hęnia fac cōdas boeotiaq̄ꝫ illa vocato. Dio. tamē eā dicit appellatā a boeto quē Neptunꝰ genuit ex Arne filia Aeoli. In ea Thebe ciuitas quā Amphion muris ornauit ⁊ mons citheron.

Boetus vt inquit Stra. Hiſpanię fluuiꝰ ex eiſdē naſcēs locis ex quibꝰ Anas et Tagus.

Bogud oppidum in aphrica et regis nomen in genere maſculino.

Bodellium genus gummi odoratū: quod arbor in bactriana regione producit.

Boie genus vinculorū tam ligneorū q̄ꝫ ferreorū ſeu torquis damnatorū qđ quaſi iugū in boue ſit.

Bolis idis. dici poteſt iaculum ουρανοβαλλω ad cuius ſimilitudinē faces quędā ignee bolides vocantur. Pli. lib. ij. Duo genera earū lampades vocant: plane faces alterū bolidas quale Mutinenſibꝰ malum viſum eſt: diſtant ꝙ faces veſtigia longa faciunt priore ardente parte: bolis ꝟo perpetua ardens longiorem trahit limitem.

Bolus cuiuſq̄ꝫ rei fruſtum. Unde bolum terrę glebam dicimus: bolū argenti maſſam argenteā. Bolos ꝟo a gręcis iactus eſſe dicitur.

Boij ppl'i fuert̃ gallię ciſalpinę inter padū ⁊ trebiā ſiti.

Boletus genus fungi.

Bombus: ſonus tubarū raucus nec valde acutus: tractus ab ipſo ſonitu ſicut mugitus boum. Perſius. Torua mimalloneis implerūt cornua bombis. Sic bombeo apud gręcos ſignificat ſono. Et bombus ſonus quem faciunt apes.

Bombitatio: ſonus apum.

Bombyx per y. vermis qui primo eruca eſt: et apud Indiam ęthiopiā ⁊ ſeres in aranearum morem tenuiſſima fila ducit ad veſtē faciendā. Primū bombylꝰ deinde Necydalus: demū bombyx appellatus. De hoc Ariſtote. et Plini. fere idem tradunt in ſex menſibus bombices telas araneorum modo detexūt ad veſtem luxumq̄ꝫ fęminarū quę bombycina appellantur: primo eas in filum retorquere rurſuſq̄ꝫ texere inuenit mulier Pamphile Platis filia. Amb. de bombyce libro Hexa. Bombyx vermis indicus ex cuius textura bombycinū conficitur. Fertur hic corniger vermis conuerti. Uide ſupra Bambilius. Rurſus bombyx frutex bombacij eſt.

Bombycinus ⁊ bombycinum penul. cor. pro veſte ex ſerico confecta: ſeu pro pāniculo rubedine infecto et mulierū genas tingente. Iuue. Delicias ⁊ pāniculꝰ bombycinus vrit. Mar. Fęmineū lucet ſic per bombycina: qui etiā bombyx dicit̃. Proper. Nec ſi qua arabio lucet bombyce puella.

Bomolochus penulti. cor. dictus eſt apud gręcos qui facilis atq̄ꝫ idem humilis omnia lucri gratia perfert iocando cauillandoq̄ꝫ. Et apud nos ſcurra appellatur: qui vt ſumptuoſioribꝰ cęnis interſit nullo ſe ſcurrilitatis genere ꝯtinet. Sed proprie puer: qui alteri inſidiatur vt furet̃ candelas βωμοσ και λοχαω ενθεν βωμολοχοσ.

Bonaſus fera ē: quę vt ſcribit Ariſto. in mōte meſapo qui peonię ac medię limes eſt: inuenit̃ et a peonibus monapon vocat̃. At Solinus circa lydiā phrygiāq̄ꝫ haberi hoc animal tradit.

Bonum dicit̃ quod opponit̃ malo. Et bonū eſt quicq̄d eſt. Uñ vidit deus cūcta q̄ fecerat ⁊ erāt valde bona Quāobrē apud logicos bonū cū ente cōuerti dicit̃. Quod em̄ ē id quoq̄ꝫ bonū eſſe neceſſe ē. Bonū etiā dicit̃ qđ honeſta pariter ⁊ vtilia cōplectit̃: vt bonum animi: bonū corpor̄: bonū fortunę. Uñ bona dicunt̃ rerū ſubiecta ꝙ ſint vtilia. Paul. iurecon. Bona vocari affirmat q̄ deducto ęre alieno ſuperſunt. De his Ulp. ſic ſcribit: Bonorum poſſeſſionē ita recte diffiniemus. Ius perſequendi retinēdiq̄ꝫ patrimonij ſiue rei quę cuiuſq̄ꝫ cum moritur fuit: bona autē vt plerūq̄ꝫ ſolemus dicere ita accipienda ſunt vniuerſitat̃ cuiuſq̄ꝫ ſucceſſionē: qua ſuccedit̃ in ius mortui ſuſcipiturq̄ꝫ eius rei cōmodū ⁊ incōmodū. Nam ſiue ſoluēdo ſunt bona ſiue nō: ſiue damnū hñt ſiue lucrū: ſiue in corporibus ſunt: ſiue in actionibus: in hoc loco proprie bona appellabūtur. Et bonū dicit̃ quod exequitur officiū ſuum. Hinc ſi virum bonum dicimus intelligimus probum. Si bonū militem fortem. Si bonū imperatorem prudentem. Si bonū grammaticum litteratū. Si bonū oratorem facundū. Si bonū iudicē iuſtū. Sic econtrario malū generale nomen ⁊ turpia ſimul ac detrimētoſa cōplectēs. Uñ malū virum dicimus flagitioſum: malū militē imbellē: et ſic de reliquis. Aliquando bonū de ſumit̃ pro bonitate. Nā cū dicimꝰ de ęquo ⁊ bono nō de ſummo iure ſed de bona ęquitate loquimur. Aliquādo pro magno. Salu. Bona pars militum inde diſceſſerat. Aliquādo pro non vili: q̄ꝛ vt dona. ait Boni non ſunt viles. Unde ⁊ ſuperlatiuus gradus optimates facit. Nā bonus melior optimus. Terentius in Phor. Illam ciuem eſſe atticam bonā bonis prognatam. Aliquādo pro vtili: vt bonum eſt pecunię parcere. Itē pro ocio ⁊ quiete: ſicut malū pro labore. Sene. Delicatus homo et bono ſemper aſſuetus. Item pro miti et fauente. Sta. Tu corda parumper huc aduerte libens: atq̄ꝫ has bonus accipe voces. Itē ꝓ pulchro. Ter. Et forma fortaſſe bona. Aug. lib. xv. de ciuitate dei. Cōſuetudo ſcripturę eſt etiā ſpecioſos corꝑe bonos vocare. Uñ in gene. Uidentes angeli dei filias hominū q̄ꝛ bone ſunt: ſumpſerunt ſibi vxores. Itē ꝓ apto ⁊ idoneo. Uirg. Et bona bello cornus. Itē ꝓ docto. Hora. Quādoq̄ꝫ bonus dormitat Homerꝰ. Pręterea bonus dicit̃ humanꝰ beniuolus tranquillus: liberalis ſimplex apertus comis facilis ſuauis tractabilis indulgens ⁊ huiuſmodi.

Bona dea quā veteres faunā ſiue fatuā ſiue ſentā dixere. Hanc Uarro ſcripſit tante pudicitię fuiſſe vt nemo illā dū vixit preter virū mas viderit: nec nomen eius audierit ꝓpter qđ illi in operto mulieres ſacrificabant ⁊ bonā deā appellabant.

Boni conſulat hoc eſt bene ſtatuat in bonā partem (vt aiunt) accipiat.

Bona caduca: facultas: que heredē non habet: vel quę non habet firmitatem. Et bona caduca dicuntur res damnatorum.

Bona venia dicimꝰ: qđ eſt ſine ira: ſine diſcordia. Ter. in Phor. Adoleſcēs primū abs te bona venia peto.

Bone fidei poſſeſſor eſſe videtur qui rem poſſidet non ſuā quā tñ ſuā eſſe putat: et eū qui vēdidit ius vēdendi habuiſſe puta ꝓcuratorē aut turtorē fuiſſe. Cōtra

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

vero male fidei poſſeſſorem eſſe dicimꝰ: qui nec rem ſuam poſſidet ⁊ eam ſcit ſuam non eſſe.

Bonitas capitur ꝓ virtute ſiue honeſtate atqꝫ iuſticia. Cicero.lib.offi. Cum enim fidem aliqui bonitatemqꝫ laudant. Huic cõtraria eſt a malo malicia. Sene. In hoc ſumma bonitas in illo extrema malitia. Frequẽtius tñ bonitas pro benignitate ⁊ quadã ingenij ſimplicitate ponit̃. Ply. Bonitas ac ſimplicitas vxoris Malitia ecõtrario ꝓ verſutia. Vñ malitioſum callidũ ac verſutũ dicimꝰ. Cice. Virtutis cõtraria eſt vicioſitas: ſic eñ malo ꝙ̃ malitiã appellare quã greci κακιαν appellant. Nam malitia certi cuiuſdã vitij nomẽ eſt: vitioſitas omniũ. Eſt ⁊ alia bonitas non ex induſtria ſed ex natura ꝓueniẽs. Cice. Que ⁊ bonitate nature multi aſſequunt̃ .i. excellẽtia ⁊ dote nature. Huic ſimiliter cõtraria malitia eſt Plyn. Quod mõ celi: modo terre malitia facit.

Bootes otis. vel bootes ote. vł bootus oti. a boue deductum nomen: latine bubulcus celeſte ſydus quod arctophylax vocatur: et more bubulci plauſtrũ ſequi videtur. Ouidiꝰ. Arctophylax formã terga ſequentis habet. Iuuenalis. Frigida circunagunt pigri ſarraca boote. Habet quattuor ſtellas in dextra manu: que non occidunt.

Boo boas ⁊ boo bois. vtroqꝫ modo dicitur a boum mugitu dici vidẽtur. Var. Exeunt citi ſtrepũt bount. Hinc reboo as.

Boreas ventus aquilo: qui ab hyperboreis montibus flat. Unde ⁊ frigidus. De hoc in dictione aquilo. Dictus boreas ἀπο του βοαν και ρεω. quoniam vt violenti flatus eſt ita etiã ſonori.

Boryſthenes penultima corre. fluuius ſcythie ſm̃ Iſtrum omnium maximꝰ cuius aque ad potandũ ſunt ſuauiſſime et magnos piſces alunt nulla habentes oſſa. Inde populi ſcythici boriſthenide dicũt̃. Propertiꝰ. Gloria ad hibernos lata boriſthenidas Stephanus. Eſt etiam boriſthenes oppidũ. Martianꝰ. Nec procul fluuius lacus oppidum ſub vno cuncta nomine. Boriſthenes quoqꝫ Inſula eiuſdẽ nominis eſſe fertur in ponto.

Bos generis cõmunis datiuum ⁊ ablatiuum plurales bobus per ſyncopam facit: ⁊ more veterum bubus. Col. lib. ij. Nihil dubiũ quin equis melius ꝙ̃ bubus res cõficiatur. Hinc fiunt adiectiua bouinus a. um. Cuius diminutiuũ eſt bouillus. Bucerus ra. rum. et Boarius a. um. Vñ forum boariũ vbi vendebantur boues. Deducit̃qꝫ bos a greco qđ eſt βους hoc aũt ἀπο του βοσκω quod ẽ paſco/ꝙ homines paſcat laboribꝰ ſuis. Inde latine iuuencos dixere ꝙ nõ paſcerent ſed homines iuuarent.

Bouilia dicuntur loca in quibus boues morãtur: ſicut ouilia in quibus oues. Colu. lib. ij. Domitis armentis duplicia bouilia ſint: hiberna atqꝫ eſtiua. Eadem etiã bubilia dicuntur.

Bouille arũ. oppidulũ fuit in latio haud ꝓcul ab vrbe Roma via que ariciã ducebat: vt inquit Aſco. Nam ad bouillas interfectus eſt Clodius aritia rediens. Dictũ bouille quaſi bouis hille: ꝙ eo vulnerata bos ſua trahens inteſtina deuenerit.

Bouillus a. um. idẽeſt quod bouinus: licet ſit diminu. Ply. Bouille carnis iure facile curatur.

Bouinor aris. penul. cor. cõuitior: et quaſi in aliquem mugio. Vñ bouinatores dicti ſunt: quos nũc deriſores dicimus: et bouinatio cõuiciũ. Lucil. Hic ſtrigoſus bouinatorqꝫ ore improbus duro.

Boſtar locus vbi boues ſtare conſueuerunt.

Boſporus penulti. cor. a bouis meabili tranſitu dictus eſt ꝓpter anguſtias freti vt Ply. Solinuſqꝫ docent quaſi bouis tranſitus. Duo ſunt autẽ boſpori: alter iuxta byzantium qui thracius dicitur oſtiũ ponti per quod in propontidẽ influit pontus. Hũc boſporum Vale. Flaccus ſcribit dictũ a traiectu Iouis in vaccam deformati. Sic eñ lib. iiij. agrauãticon. Alter in introitu meotidos paludis ⁊ per quem palus meotica in pontum defluit. De quo Ouiđ. Boſporus et tanais ſupat ſcythieqꝫ paludes. Hic etiã Cimmeriꝰ boſporus đr a cimmerijs populis qui eius partẽ frigidiſſimã incoluut. Vñ qui terras frigoribꝰ occupatas habitãt cimmerij appellantur: de hoc tractatur in dictiõe ꝓpontis. Inter boſporũ thracium ⁊ cimerium vt Martianus ſcribit: iter patet milia quingenta Boſporus tracius teſte Pomponio: ſtadijs quiqꝫ Europã ab aſia diſterminat. In boſporo cimerio erat Boſporus ciuitas boſporopolis dicta. βους και πορευομαι το ερχομαι. Aſcen. Tortel. Boſphorus ſcribit a φορο.

Boſta non ẽ altera ciuitas/vt multi putant: ſed idumea iuxta illud: Quis ẽ iſte qui venit de edom tinctis veſtibus de boſra.

